

DISSERTATIUNCULA

7

De

INFANTICIDIO
HERODIS,

NUM ΤΟΙΣ ΕΞΩ COGNITUM FUERIT?

2^{va}

PLURIMUM VENERANDOS

D N N.

INSPECTORES,

OMNEIS ITEM ALIOS STUDIO-
RUM FAUTORES OPTIMOS,

M. JOHAN. FRIDERICUS Köber/
ILLUSTRIS RUTHENEI RECTOR,

Ad benevolè auscultandum

ORATIUNCULAS,
GENETHLIIS SOTERIS O. M.

SACRAS,

Observantissimè & amicissimè

INVITAT.

G E R Æ,

TYPIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI.

4





KAiferspergium, qui genuino nomine Jo-
hannis Geileri venit, Argentoratensis Eccle-
siæ jam ante Lutherum verè Lutheranum, hoc
est, cordatum, orthodoxum & Papistarum ab-
surdis se fortiter opponentem Ministrum, le-
gimus; quod in vetusto quodam Calendario
suo, ad diem illum, quò primùm dias prodierat in luminis
auras, hæc addiderit memoratu dignissima verba: *dies cala-
mitatis!* (A) Ut indicaret, nec sibi fuisse, nec esse unquam aliis
pietatis cultoribus diem natalem, lætitiæ veræ diem ac gau-
dii, sed initium miseriarum ac tempestatum, quæ detonare
non infrequenter in pios solent, & Christo verè deditos terre-
re & infestare. Neque enim post crimen illud perduellionis,
quò reum se primus homo ac simul totum genus humanum
DEO fecerat & invisum, in rosis sedet ac violis, quidquid
uspam in mundo hominum vivit: Sed innumeris propè pe-
riculis, calamitatibus, malis obnoxium est & expositum, adeo
ut nemo temerè tam reperiatur vel æstimetur potius felix,
quin cum status sui qualitate, quod alicubi Boëtius ait, rixari
habeat. Non ibo nunc per secula, non per varios hominum
status, non per ætates diversas, non per gentilium pariter &
Christianorum scripta: ex quibus tot se offerrent miseriæ
cujusque generis exempla, tot de iisdem justissimæ querelæ,
quot numerare non facile fit. Vel unicus respiciatur mun-
di Redemptor, cui sanè mundus suus, cum nasceretur, non
erat mundus, sed profundum potius & immensum miseria-
rum pelagus, ut, qui penitus introspiciat, totus extra se po-
situs

TYPIS GEORGI HEINRICI MULLERI

fitus obstupescat, quî fieri potuerit, ut summum ejus & infinitum Numen in conditionem tam humilem, tam abjectam, tam & periculis expositam præsentissimis se demiserit. Non satis erat extreme pauperem & in stabulo nasci inter bruta; in tenerrima ætatulâ etiam fugiendum, & in mundo, opificio nimirum suo, exulandum erat, ne à crudelissimis Herodis satellitibus depræhenderetur, ac tolleretur è medio. Quid enim possent Furiarum infernalium manus; bimuli Bethlehemitici, & quî infra illam ætatem erant, experti, suo cruore innocenti testatum ire non difficulter queunt. Rama adhuc ejulat lamentabunda: Rahel contentissimâ clamat voce. (b) Qui ejulatus & clamor an & alibi locorum auditus fit, & an *οἱ ἔξωθεν* de lanienâ tam memorabili literarum memoriis consignatum quippiam reliquerint; cûsqvirere nunc ipsum brevi dissertatione juvat. Omnes verò, qui vel levi brachio hoc argumentum tangunt, Macrobius *ὁ μὲν οὖν* laudare depræhenduntur. Ita verò hic, dum in recensendis Cæsaris Augusti jocis occupatur, commemorat: (c) *cum audisset inter pueros, quos in Syriâ Herodes, Rex Judæorum intra bimatium jussit interfici, filium quoq; ejus occisum, ait Augustus, melius est Herodis porcum esse, quàm filium.* Hactenus ille Macrobius, Vir illustris, curiosissimus in loquendo, ut commendatur Laurentio Vallæ, (d) dignitatis primariæ, sacri quippe cubiculi sub Honorio ac Theodosio juniore præfectus; quemadmodum observavit doctissimus Isacius Pontanus, (e) & *ὁ πρῶτος* Reinesius, qui longè majores ei dignitates tribuit. (f) Is verò singulas propè circumstantias historiæ nervosâ complexus brevitate est. Appellat cædis immanissimæ facem, ut ita loquar, ac tubam, Herodem, quem cognomine Magnum vocant, magnum nempe in omni vitiorum genere, cum maximè sævitiâ ac tyrannide: quâ parem facile non habuit ex omni memoriâ, nisi Pharaonem Ægyptium. Illius mens dubium non est, si reclusa fuisset, quin potuissent *adspici laniatus & ictus cum sævitiâ, libidine, malis consultis;* quò caractere tyrannum expingit

git Tacitus. (g) Unde fiebat, ut legati Judæorum apud Imperatorem Augustum, paulò post mortem Herodis clementer admissi, eum non ut hominem, sed ut fævissimam bestiam summæ rerum præfuisse, conqvesti sint: quippe qui non Judæos tantùm plurimos & horum Sanhedrin, sed & uxores suas, matrem, avum, fratres & filios quosdam crudelitate maximâ vitæ fecerit exhæredes. (b) Appellat idem miserendam ac inauditam lanienam, quâ ingens infantum numerus indignissimâ nece sublatus est, ejulante matrum cœtu confusô, & clamoribus omnia incendente. Tenerimus enim matrum affectus est, nec temperare lacrymis & lamentis potest, quando, (largiatur hoc mihi vena Christiani Poëtæ hanc in rem) (i)

O barbarum spectaculum!

Inlisa cervix cautibus

Spargit cerebrum lacteum,

Oculosq; per vulnus vomit.

Aut in profundum palpitans

Mersatur infans gurgitem,

Cui subter artis faucibus

Singultat unda & alitus.

Quæ quidem ærumna ac lamentatio tantò extitisse vehementior & ad omnes memorabilior censetur, quantò fuerunt plures innocentissimi pusiones, quos tyrannis immane quantum efferata, sustulit è vivis. Etsi enim, quod ex Missa Æthiopum credit Romana Ecclesia, non adeo certum est & indubium, quod quatuordecim mille fuerint interemti tunc puelli; nec omnes habet numeros veritatis, quod Stapulensis ex Apocalypsi Johannea conjicit, ad centum quadraginta quatuor millia adsurrexisse interfectorum numerum: tamen nec illud negari omninò potest, non exiguam fuisse martyrum tenerrimorum copiam, licentiâ in primis militi à Rege crudelissimo concessâ, nec moderatum quidpiam svadente. Appellat idem *pueros intra bimasum*, qui Evangelistæ primati ἀπὸ διετῆς καὶ κατωτέρω, bimuli & minores natu dicuntur. (l) Ex quò propè dixerim apparere, Macrobium aut Christianum fuisse, aut certè Apostolorum legisse libros. (m) Vixit sanè, ævo Theodosiano, hoc est, Christiano, fuitque, ut

ut antè dictum, apud Honorium pariter ac Theodosium ju-
niorem magnis muneribus admotus; ex quorum conver-
satione haurire isthæc non difficulter potuit, etsi forsan pa-
ganorum tenebris nondum exsolutus. Fortassis & effatum
illud Augusteum ex illis audivit, perinde, ut ab aliis reliquos
accepit jocos, quos magno numero adducit, & adfectasse Cæ-
sarem, *salvò tamen majestatis pudorisq; respectu*, scribit. Et
quàm facile potuit fieri, ut Cæsares isti, historiæ sacræ non
ignari, quod de pueris simpliciter dixerat Augustus, iidem
cum *περὸς δὲ ἰερομῶν* de bimulis pronunciarent? Verùm enim
verò cum à plerisque omnibus eruditis inter gentiles recen-
seatur Macrobius, nec in scriptis hujus quidquam temerè
compareat, quod Christi notitiam prodat; valere omninò te-
stimonium istud Viri illustri, & pro stabiliendâ historiâ de
Infanticidio Herodis afferri, ubi opus, ac retineri potest. Ap-
pellat enim denique & Syriam, cujus pars Judæa fuit, ubi
Tragœdia immanis, cruentâ maximè & plus quàm diabo-
licâ crudelitate peracta fuit. Ut adeò hæcenus cum Histo-
rico sacro egregiè consentiat Macrobius, ut, quod ille proli-
xius scripsit, id dixisse Augustum brevi quodam apophtheg-
mate commemoret, & ex ejusdem ore tanquam repetat.
Verba verò, quibus perstrinxit Imperator nefandum Hero-
dis facinus, ita habent: *melius est Herodis porcum esse, quàm fi-
lium*. Herodes enim etsi Idumæus & adeò alienigena erat;
(*n*) religione tamen Judaicâ imbutus, facilius necabat filium,
quàm porcum, certè à porcorum nece magis abstinebat,
quàm filiorum. Judæi enim vel ab appellatione amicorum
luto suum abhorrebant, quas, ut testatur Josephus (*o*) nefan-
da vocabant animalia. Illud verò nunc scrupulum movet, quî
fiat, ut inter pueros Bethlehemiticos, & filius Herodis, jussu
ejus occisus, dicatur? Utiqve hinc *ἐπιμνηστικῶς* sapientissimi Im-
peratoris ortum traxit. Nimirum ex hoc Macrobii loco non-
nulli eruditi, & inter hos Baronius (*p*) eruunt quartum He-
rodus filium, pusillum illum quidem & infantem, qui Bethle-
hemi

hemi tunc vel natus vel nutritus unâ cum aliis puerulis interfectus & jugulatus sit. Totus in eô est Cardinalis, ut nec Josephi, qui hoc tacet, auctoritatem eleuet, & fidem verbis Macrobianis asserat. Id verò quàm non sit necessarium, & irritum planè, post incomparabilem Is. Casaubonum (q) doctissimus ostendit Frid. Spanhemius, (r) rationibus non proletariis, quas nunc afferre non juvat. Dicendum itaque ac statuendum cum laudatissimo hoc Spanhemio, (s) confundi sive ab Augusto, sive à Macrobio, duas historias, quas distingvi omnino par est, infanticidium nempe Bethlehemiticum, & cædem Antipatri, qui jussu Patris tunc in carcere sublatus sit. Inter duo autem hæc acta plurimum interesse; si quis explorare velit, Delionatore non habebit opus. Nam infantes Bethlehemi & circaejus confinia; Antipater propter insidias, quas struxerat Patri, Hierichunte: illi tenellâ in ætate; hic annis maturior & adultior: illi prius; hic post paulò, & quidem quinque diebus ante mortem Herodis, perempti sunt. Unde non malè vir clarissimi nominis, Christianus Noldius, (t) isthæc quidem uno tempore Romæ auditas, sed non eodem factas, interpretatur, illud Macrobiani, *inter pueros*, exponens per *prater pueros*. Ideoque, ex hujus opinione, utræq; quidem cædes simul cognitæ, non verò simul factæ dici debent. Etenim, quod Plinius præclare ait, (u) *summam rerum nunciat fama, non ordinem*. Neque verò est, quod miretur Josephus Scaliger, (x) magni Parentis non minor filius, excidisse id dicti Augusto, qui sententiam capitis, in tres filios, inter quos ultimus Antipater fuit, (nam Alexander & Aristobulus diu antè deleti erant) ab Herode latam, iudicio suo comprobata confirmârit. Nam licet hoc non ignoraverit Augustus; quid tamen prohibet, quò minus dicterio illi, quò Cæsar usus dicitur, locus restet & gratia? Voluit necem filiorum suorum approbari à Cæsare Herodes; Cæsar approbavit, & nihilo tamen minus de crudelitate patris crudelissimi pro suâ libertate & *εὐεργαπλία* jocatus est. (y) Igitur rem planè tangit acu Macrobius, etsi confundat Antipatri

patri jam adultioris interitum, cum bimulorum in Bethlehemo cæde. An verò, præter Macrobiū, nullus Scriptorum lanienæ Bethlehemiticæ injiciat mentionem, nunc restat quærerere? Quid Josephus, scriptor fide dignissimus? quid, inquit non nemo, ille? Totam videtur Herodis historiam executus diligenter, nec minimas propè circumstantias & quæ fuerunt vitæ ejus ἀξιωματικόν, præteriisse: cur ergò nihil hujus rei meminit, quàm omisisse nefas est? Cui quidem respondere nolumus cum Casaubono, (z) ideò ignotum fortassis Josepho infanticidium fuisse, quia intra Bethlehemi fines, illa tragœdia fuit patrata. Nam quis credat, eosdem intra fines cædem tam nefariam cum famâ, omnia ubiqve divulgante, coercitam ac terminatam fuisse? Neque enim, ubi loqvax cœpit fama, ibi & subsistit, sed eundo crescit, ut Poëta princeps canit, (aa)

Parva metu primò, mox sese attollit in auras:

Ingrediturq; solo, & caput inter nubila condit.

Præstat igitur dixisse, nulli unquam Historicorum fraudi fuisse, si non omnia, quæ vel suo vel alio gesta fuerunt ævo, monumentis suis inseruit. Multa vel ab optimis Scriptoribus aut datâ operâ aut præter opinionem prætermissa sunt, quæ potuerunt commemorari. Sic non pauca Josephum, quæ & in veteris Testamenti tabulis notata, nec ignota Judæis fuere, & longè adhuc alia, quæ ad notitiam rerum Judaicarum faciunt, silentii involvisse peplo, certum est. Quid miramur ergò magnopere, si & infanticidium famosissimum tacitus prætervolavit? Adde, quòd sæpè jam dictus Spanhemius (bb) arbitrari videatur, innuere non nihil de illâ lanienâ Josephum, quando de Herode narrat, (cc) eum, postquam de vaticinio Pharisæorum innotuerat, divinitus scilicet decretum esse, ut ab Herode regnum auferretur, magnam in eis edidisse stragem: quam prædictionem & complures aliæ cædes subsecutæ sint. Quæ verò, si quis pertinaciter refragari velit, vix satis erunt ad persuadendum idonea. De quo tamen accuratius ipse Josephus evolvendus & expendendus fuerit. Hoc certum est, cum omnia, quæ à Christo & circa Christum gesta fuerunt, à Josepho

pho

phô aut prætermiffa fînt ac fuppreffa, aut & extenuata & alior-
 fum raptata; nihil reftare admirationis, fi & infanticidium enor-
 me tacuit. Non injuriâ Egéfippus jam olim Jofephum per-
 ftrinxit, (dd) quod divinam refurrectionem & pleraq; Chrifti
 opera fciens volensqve præterierit; quod non immeritò im-
 putatur ipfius in rem Chriftianam odio. (ee) Tandem nefcio, an
 huc trahendum fit nomen Herodis infame, quô, ut eft apud
 Cedrenum, (ff) παιδοκτόν, *infanticida*, ex aliquo veteri fcri-
 ptore appellatus fuit. Ut enim taceam, propter tres filios,
 quos, teftè Jofepho, diverfis temporibus contrucidaverat, eum
 id nominis jure obtinuiſſe; & Chriftianus potuit eſſe antiquus
 ille fcriptor, ex quo Cedrenus appellationem hauſit. Atq; fic
 ὁ φθάλμοφανὼς cuilibet patet, non niſi apud Macrobiûm nefan-
 di facinoris memoriam hodie extare. Et hæc præmittere viſum fuit
 Agoni, qui in honorem Jeſuli noſtri recens nati cras, DEO clementer in-
 dulgente, ab ADOLESCENTIBUS OPTIMIS habendus eſt. In quo
 I. MART. BERNHARDUS Müller / LOBENSTEINIO - VAR.
*Græcâ oratione monebit Commilitones, ut Nativitatem Chrifti piè ac diligenter con-
 ſiderent.* II. STEPH. Roth / KNAVIA - VAR. *de urbe natali, nempe Beth-
 lehem, III. MARCUS Nußbaum / CIZA - MISN. de ſtabulo, in quô natus,
 IV. CHRIST. Richter / EUBENSTOCHIO - MISN. de præſepi, in quô re-
 cubuit Sospitator, dicent: tandem JO. GOTTLOB. VULPIUS, WERDA-
 MISN. pro ſalutiferâ Chrifti nativitate gratias nuncupabit ex promptâ me-
 moriâ. Et hi omnes idiomate Latino ſuas oratiunculas conceperunt,
 hom. II. pomeridiana in Acroaterio ſuperiore dicturi. Qui ut cùm à
 MAXIME VENERANDIS DNN. EPHORIS, tum & ALIIS ERU-
 DITISSIMIS VIRIS, GYMNASII FAUTORIBUS, propter eum
 imprimis, cujus gloriæ opera hæc qualiscunqve piè dicata eſt, benevo-
 lè & frequenter audiantur; id verò eſt, quod magnopere rogitamus.
 P. P. Geræ Feria II. Natalitia, Anni prope metam conſtituti ∞ IOC
 LXXXIII.*

(a) Vid. Melch. Adam. in Vit. Theol. p. 10. (b) Matth. II, 18. (c) l. 2. Saturn. c. 4.
 (d) Vid. Fr. Spanh. part. II. Dub. Evang. LXXXVI. p. 534. (e) not. ad Macrob. l. 1. Sat. c. 1. ap.
 Voff. de arte Gramm. l. 1. c. 4. p. 18. (f) epist. L. ad Rupert. p. 462. (g) Vid. not. Weiz. in
 Prud. p. 575. (h) Vid. Noldii Hiſt. Idumæam p. 32. ſeqq. (i) Prudent. Cathemer. hymn. XII,
 & 117. ſeqq. (k) & Gerh. Comm. in Matth. c. II. p. 130. (l) II, 16. (m) Vid. Synop. Crit. Matth.
 Poli, ſolum. IV. f. 59. lin. 36. (n) Vid. Nold. l. c. p. 339. (o) l. 5. c. 1. (p) Annal. ad A. C. 1. n. L.
 (q) exerc. II. n. XVI. p. 173. (r) l. c. p. 534. (s) l. c. p. 535. (t) l. c. p. 68. (u) l. 4. ep. 11.
 (x) in animad. Euseb. ad ann. MMXXI. (y) Adde Spanhem. l. c. p. 535. (z) l. c. p. 174. (aa)
 IV. Æn. & 175. (bb) l. c. p. 536. (cc) l. XVII. c. 3. (dd) ap. Spanh. p. 538. (ee) Vid. J. H. Otſio
 cent. 1. in Annal. Baron. p. 13. (ff) Spanh. l. c. & Caſaub. l. c.

Th: 780

ULB Halle 3
002 500 698



Sb.


VD 17

n. C.





JAC
Reverend
SCHMI
Ad finis &
oratiuncu
καὶ ἰστὴν ἀποφ
JESU sic in
labori in
dicitur, vi
bis, Mu
vene laud
ἡμεῖς ἄνθρωποι
premat,
hora I. p
recitet qv
le audite
rentis me
doctrina
cum De
potibus
jicient
condisci
etissime
JO
JO
MI
JO
& FR
Valete,
go, fa



KODAK Color Control Patches

Kodak

LICENSED PRODUCT
3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Plurimum
M. PAULI
meritissimi,
u maximo,
videm *γυναι*
ατο nomine
turus ipsius
n proverbio
di facio, vob
tentus, a ju
xo sermone
nibus domi
ientibusqve
stico habeat
em benevo
end. Dn. Pa
m multiplici
re non uno,
naginem ne
ta quoq; sub
manica, qvi in
tenuis conjun
nb.
o.
berga-Osterl.
ARIUS, Alt.
b.
od denuo ro
urgi IV. Eid.

